



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. Circa creationem malorum Angelorum & hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

§. I.

Tentatio I. Circa creationem malorum Angelorum & Hominum.

III. **E**usebius Clericus legens in aliquo libro historiam, quâ narrabatur, eo tempore, quo S. Bernardus mortuus est, 30000. hominum in iudicio particulari comparuisse, & ex his duos tantum rectâ ad cœlum, tres ad purgatorium, reliquos omnes ad infernum fuisse translatos, vehementer tentari cœpit, dum imaginari sibi non potuit, quomodo tam misericors Deus tam multos homines, quos praevidebat damnandos esse, creare potuerit præ iis, quos, si creati fuissent, certò salvandos præciverat. Quae tentatio adhuc majus incrementum accepit, quando in alio libro legit, esse quorundam Doctorum opinionem, qui tertiâ parte plures Angelos damnatos, quàm Salvatos fuisse asserant. Quæritur, quomodo huic tentationi sit occurrendum?

Responsio.

IV. Inprimis illi suggerat S. Hieronymi responsionem l. 3. contra Pelag, sic loquentis: *Vis scire rationem? DEVS presentia judicat, non futura: nec condemnat ex præscientia, quem noverit ialem fore, qui sibi postea displiceat; sed tanta bonitatis est & ineffabilis clementia, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & post malum futurum, dans ei potestatem conversionis & penitentia.*

V. Secundò ostendat eidem, licere cuique uti jure suo maximè autem DEO, cui sine injuria Ma-

gestatis licuisset, ad supremi juris sui demonstrationem omnes creaturas, infantes etiam, æternis cruciatibus affligere; quid mirum ergo, si beneficâ voluntate condidit aliquos ob scelera sua affligendos, non ut affligeret, & quod damnet justitia, quos bonitas creavit ipsâ bonitate & justitiâ abusus.

VI. Tertiò illi demonstret, quàm magna emolumenta ex tali creatione sint subsæcuta, dum & attributa divina clariùs sunt manifestata, per justitiam in aliquibus, in aliis misericordiam exercitam: & multi homines pereuntium exemplo ferventius virtutem amplectantur, merita sua augent, & ad magnam sanctimoniam aspirant; sicque DEUS ex malis exprimit optima, & velut ex insulso cortice dulcem nucleum eruit.

VII. Quartò illi ostendat, etiam hunc finem creationis hujus non postremum fuisse, ut bonis & electis ad varios usus serviant, uti sat clarè Gerson sequentibus verbis lib. I. de consol. Theol. prosâ 4. indicavit: *Velut animalia propter homines creata sunt, ad obsequiorum varietatem, illa blandiendo, ista saviendo, intelligere sic habemus propter electorum salutem præscitos esse formatos, sive nocere, sive obsequi conentur, ut non gloriatur omnis vel obsequens electis, vel adversans eis. Noverat DEVS scelestos usui futuros prædestinatis, tum ad vitam temporalem, tum æternam; quare propter electorum utilitatem non inutiles omnino sunt. Cadaveris morticini adipem jussit DEVS haberi in varios usus; nam etiam ii, qui suis mortui peccatis sunt, sanctorum vita serviunt: aliena adhuc malitia utilis est filiis DEI.*